

I  
II  
III  
IV  
V  
VI  
VII  
VIII  
IX  
X  
XI  
XII





56  
LIV.  
*Quod felix faustumq; sit,*

Nuptiis secundis, amplissimi, & gra-  
vissimi Viri

**DN. PAULI  
BERGMANI, NOTARII**

pub. & judicis provincialis tento-  
rii Cotheniani, &c. Sponsi,

*Cum lectissima & pudicissima  
virgine*

**ANNA**

Integerrimi & doctiss. Viri, Dn. M. GEORGII  
R A U C H I I Consulis quondam  
Reip. Cothenianæ consultiss. re-  
licta filia, Sponsa &c.

*Celebrandis 27. Augusti Anno 1610.*

Carmina honorificè consecrata à familiaribus,  
amicis, quorum nomina singulis  
sunt subscripta.

---

*SERVESTAE,*

Impressa typis Zachariæ Dörfferi.

Anno 1610.

57









DN. PAVLO BERG-  
MANN O, &c.

ET

ANNÆ RAVCHLÆ, &c.

**P**AULUS, utrum eligeret, dubita-  
vit Apostolus olim:

Iret an ad CHRISTUM? vive-  
ret anne solo?

Illud erat melius: sed *Christi* sponsa, per  
orbem

Sparsa, pii fida testis egebat ope.

*Paulus*, utrum creptam fatis, dubitavit

*Orander*,

Iret ad uxorem? duceret anné novam?

Illud erat melius: sed opem Respublica  
justi

Judicis implorans usq; manere jubet.

Quid faceret: mortemné *Deo* prohiben-  
te subiret?

Officii munus defugeretné sui?

A 2

O quo



O quoties charæ veniens ad triste sepul-  
crum

Conjugis, hæc, dixit, me quoq; terra  
teget!

Inde super tumulo monumentum insi-  
gne columnis

Erexit, pluvix quo prohibentur aque.

Non ut Mausolo monumentum barbara  
conjunx:

Sed pius uxori struxit ut Isacides:

Nempe triumphatæ signum spectabile  
mortis

Erigit in *Christo* quod duce læta fides.

Vivit *Christus*: ubi tua nunc *Victoria*  
mors est?

Vivit, & in *Christi* est *Elisabetha* manu.

Tempus erit, clangore tubæ quum cor-  
ruet orbis:

Mortua tunc etiã mēbra levabit humo.

Tunc iterum vivi sociabimur omne per  
ævum:

Nec mors, nec lacrymæ, nec dolor ul-  
lus erit.

Hæc



Hæc dum *Paulus* agit *Judex*, *Astræa* bi-  
lancem

Sustinet, expendens omnia: deinde  
refert:

Jam satis uxori solvisti justa priori:

Jure tibi Sponsam quæris, alumne, no-  
vam, (deli

Quæ simili pietate *Deum*, quæ mente fi-  
Et studio curet teq; tuamq; domum.

Expedies melius sic multa negocia, cura

Sic privata minor, publica major erit.

Quid cessas? inter nymphas *Cothenidas*  
una,

Una magis reliquis cōvenit *Anna* tibi,  
*Capnio* quam *Consul* genuit, pia mater  
ad omne

Formavit teneram sedulitatis opus.

Hæc longos tecum castissima transigat  
annos, (mus.

Sitq; secunda tuæ fida columna do-

Hactenus, & superas *Astræa* recessit in  
oras,

Optima *Judicibus* dux & amica comes.

A 3

Nec



Nec mora, *Bergmannus* quò vivit aman-  
tior æqui,

Hoc magis erecto pectore iussa facit,  
Et tumultum thalamo mutat, lacrymasq;

sequuntur

Gaudia conjugii, quæ probat ipse

DEUS.

Jamq; tubæ cantusq; sonant, & publica  
vota:

Unanimes vivant *Paulus & Anna* diu.

*M. Daniel Clapius Ecclesiæ  
Coth. Minister.*



I D E M

AD DN. PAVLVM  
BERGMANNVM.

De Sponsæ Cogno-  
minæ.

*Fumum,*



**F**umum, Sponse, nihil metuas, qui ledit  
ocellos,  
Ater, & obscuro fumus ab igne venit.  
Non talis fumus tua, sed Fumaria Sponsa  
est,  
Quam terra fumum Teutona lingua  
vocat.  
Quandoquidem crescit cultis Fumaria ter-  
ris,  
Fumat ubi multo pingue vapore solum.  
Purpureo stat flore nitens, foliisque colore,  
Naturam cineris candidiore refert.  
Optimus hinc succus medicos servatur ad  
usus,  
Hinc tenuis liquidas elicit ignis aquas:  
Hinc iecur obstructum sentit sanguisque le-  
vamen,  
Et fugiunt seve dira venena luis.  
Quin caligantes Fumaria luminis orbes  
Corrigit, atque aliis usibus apta venit.  
Talis Sponsa tibi veniat Fumaria, talis  
Fumus, Paule, oculis sit medicina tuis.

ALIUD





## ALIVD.

### De delectu Conjugis.

**S**unt quibus insidiæ fraudumq; scien-  
tia cordi

Multiplices astu mētes, ad ficta paratę  
Officia ( ut color emineat ) dolus insidet  
intus

Nititur interdum, sed adhuc prorumpere  
distat,

Donec in ampullis animetur virus aceti,  
Jamlibet: os diris lacerum, noctuq; diuq;  
Bullit, & in quemvis, etiam sine pondere  
causis,

Spirat, non animi-compos, furiale vene-  
num :

Sunt quarum nimio splendent insignia  
fastu,

Antè micant nitidè, sed ponè ægerima  
gressu

Claudicat esuries, & inops penuria num-  
mi:

ALIVD

Sunt



Sunt quæ mollitiem captant nulloq; fatigant  
Brachia conatu (domus & res corruat omnis)  
Aut ambire fores auremq; impendere nugis,  
Aut agitare fenestellas, ridere quod extrâ est,  
Aut pulsare fides, aut ova recludere centum  
(Vende quod in promptu est, hæc ornat ferocula  
vinum)

Aut segnes tepidis artus involuere plumis,  
Hoc iuvat, hoc volupe est, hoc pingui viscera far-  
cit:

Sunt quas ignifico Veneris puer improbus ictu  
Ossa per & fibras cornu trajecit adunco,  
Ollæ ingeminant crebro suspiria tractu,  
Inq; viros tremulis radios jaculantur ocellis.

Nec mora, cominùs insiliunt & ad oscula sur-  
gunt,

Mutuaq; infigunt irritamenta furorum,

Quos vitare fuga tantùm licet, & nisi vites

Forma decens urit, fœcunda paciscitur ætas,

Rapitur equis auriga, nec audit currus habe-

nas.

Invenias, quibus est oneri pietasq; fidesq;,

Regulaq; probitasq; ad sana examina legum

B

Dum



Dum fas atq; nefas numero rediguntur eodem,  
Nec coelum ruere ac comburi terra putatur,  
Tu qui legitimis connubia finibus arces,  
Id genus invisas quovis plus oderis angue,  
Mille maritorum clades, bis mille querelæ  
Pænitet & tædet piget atq; pudet; sed oportet  
Ferre, quod invētum est, tacitoq; obnubere velo.

At te Relligio sibi vendicat, obtinet, aufert  
Numine nixa Dei verboq; in codice scripto,  
Quod sacer irradiat divino Hyperione Flatus,  
Quo duce nititur incassum delebilis error,  
Quo duce bella truceis contra committimus ho-  
stes

Ardua, tutandi studiis vestigia veri:  
Te pietas sincera trahit, comitatur, adornat  
Utilis his rerum metis orbiq; futuro:  
Te sine tabe fides densis immota procellis  
Sustinet arrectum spebus, nec fata tementem  
Improperantia, consiliis aliena supernis.  
(Subde facem precibus quo noxia thure fugan-  
tur)

Te



Te gravitas animi : Te grata decentia mo-  
rum :

Te prudentia : Te comis facundia fandi :  
Judicium sollers dubias dispecere causas,  
Suppliciis cohibere reos , rata jura tueri :  
Et quasi numerem virtutes , antè fatiscam  
Et non condideras , obscurâ lumina penâ ,  
Et non imparibus tua promicat Annula donis,  
Felle doloque caret , non vana superbia men-  
tem

Irretit tenerè : Fugit ocia : Suppeditat rem :  
Non ardet nisi te , nec præter honoris amuf-  
sim :

Dedita sacra colit , cultum profitetur apertè ,  
Virgineos edit ritus : In fronte pudorem  
Exserit ingenuum , roseoq; numismate cudit.

Tu , cum sis teneris virtutem amplexus ab annis ,  
Virtutem thalami sociam , Bergmane , tulisti  
Constituente Deo fatumq; animumq; duorum ,  
In cujus bonitate sita est genubusq; recumbit  
Aurea prosperitas ad fila novissima vitæ.

B 2

Jam



Jam genus in multam licitum est extendere pro-  
lem ,

Quæ matrem invitet vagitibus, & perimat lac,  
Garrulitate patrem emungat : Da poma , nu-  
cesda ,

Da teretes obólos, ego patri basia reddam &c.

Ilicet absisto, neq; mi sunt cætera curæ,

Nec me traxeritis: sit nox procerior usu.

*Joannes Forsterus Reip. Cothe-  
niane Medicus.*



## EPITHALAMIVM.

**T**Riste quidem dictu, Verum immutabile fatum  
Intulit hoc orbi, pestiq; simillima clades  
Detestanda, hominum casu insatiabilis hostis  
Quam Satan Inferni è latebris erebiq; cavernis,  
Illecebris multis veniens instructus & astu,  
(Proh dolor!) incauto, nec quid sibi tale timenti  
Intulit, & totum consperfit perfidus orbem.

*Hinc*



Hinc illa lacryma & facies miseranda secuta  
est,

Et dolor, & multum torquentes pectora cura  
Noctes atq; dies: Namq; immedicabile vulnus,  
Quod Stygiis ab aquis surgens inflixit Adamo,  
Illius & natis, cunctisq; nepotibus ejus  
Hostis atrox, longeq; hominum lethale per ossa  
Lateq; inficiens sparsit per membra venenum,  
Vulnus alunt imis venis, imisq; medullis,  
Quotquot in has auras hominis de semine primi  
Descendunt orti, & mortali luce fruuntur.

Hinc labor, & sudor varius, Deus ipse colendi  
Difficilem esse viam voluit, multiplice cura  
Corda acuens hominum, nec et infelicius usq;  
Vivit in orbe animal, donec sua debita solvit  
Naturae mortalis homo, qui pulvis & umbra  
Ut fuit, in cineres, mortisq; revertitur umbram.

Verum ego quò tandem? Cur demens tristia letis  
Misceo, quid lethum, & lethæa oblivio rerum  
Hic facient, primum incipiunt ubi vivere amantes  
Quid dolor & lachryma? nupti sunt absq; dolore  
Curarum vacui, sunt gaudia, & omnia risus,  
Atq; joci atq; sales, crescentis fomes amoris.

B 3

Scilicet



Scilicet hæc summa est, imitandaq; regula vitæ  
Totius, Ne quid nimis, & pulcherrima virtus  
Omnibus in rebus Modus est, hæc semita recta est,  
Quam bene qui ingreditur, fortunatissimus ille est.

Hujus eris magnum exemplum, cultissime Sponse,  
Quem pietas, & amor veri commendat, & æqui.  
Namq; adjuta tuis semper Respub. floret  
Officiis & consiliis, cum fana frequentas  
Justicia, justies vindex, fraudemq; clienti  
Non sinis innecti, sontum es formido, nec ulla  
Præmia, si ve preces mœstæ, seu gratia fallax  
Vim faciunt ullam, Bergmano judice, justo.

Tu lethi memor es, lethiq; minantia temnis  
Spicula, spe vitæ, quæ Christi est morte redempta,  
Præsentiq; bono fruëris, non immemor anni,  
Atq; hora, tenues qua vitæ recedat in auras,  
Et qua te exanimem, & Parcarum lege peremptum  
Fletibus ad tumulum quondam comitentur amici.

Nam veluti Tharab cretus divinus Abraham  
Justa suæ, huic Mundo quando mors omnibus æqua  
Abstulit uxorem, solvit funebria Saræ,  
Delectumq; emit peregrino à rege sepulchrum,  
Esset ut ex angui sociæq; sibiq; sepulchrum:

Nec



Nec tamen intereà sua subdere colla recenti  
Conjugio dubitat: ne solos duceret annos,  
Vimq̄ sibi inferret, gemeretq̄, ut compare turtur  
Orbus, edens animam charam, nova gaudia lecti,  
Immaculata tamen, quærit, ducitq̄, Ceturam,  
Cujus in amplexus & mollia brachia fusus  
Natorum pater est factus, materq̄, Cetura.

Haud aliter, tua quando tibi valedixit, & orbi  
Lumine defuncta Elisabeth, pietatis imago  
Et speculum muliebris, amans virtutis, alumna  
Inter felices animas, atq̄, incola cæli,  
Illius exuvias efferris, & more decenti  
Prosequi eam exequiis, & matri credere terræ  
Prima & summa fuit tibi cura, ô optime Sponse.

Abramides Paule es, te talem industria fecit,  
Et non sola fides Abrahæ: stant tecta columnis  
Fornice conspicuis innixa, ubi corpora mille  
Ossaq̄, mille jacent reducem expectantia Christum.  
Sumtibus ista tuis ibi stant, tumultoq̄, sepulta  
Dant umbrã, atq̄, dièi tibi sunt monumeta suprema.

Et nunc aspiras, Bergmane, ad vota secunda  
Impiger, & casto tibi jungis amore puellam,  
Comtam illam, genitore probò & genitrice puellam  
Natam,



*Natam, eductamq; bene, & quæ rebus agendis  
Sufficit, atq; tuis cum se implicat ipsa lacertis  
Labra petens labiis, tunc pristinus ille redibit  
Ignis ab igne novo succensus, & ossa calescent  
Plus satis, ut fias & matre & prole beatus.*

Autore Georgio Bobbio Pa-  
store in Edderitz  
& Pythen.



### FOCVS EJVSDEM

Ad Sponsum ducentem Annam Rauchiam,  
quo alluditur ad nomen Sponsæ, & diversa mu-  
nia, quæ Sponsus hactenus obiit par-  
tim, & adhuc sustinet.

**A** Teneris hominem quàm sit consuescere  
multum,

Exemplo proprio, candide Sponse, doces.

A teneris fumum gustasti in pulvere ludi,

Cum rudis imbiberes prima elementa puer.

Fumum, & foetorem libare, hæc esse magistri,

Dum pueros format, fercula prima solent.

Fumo-



Fumologus quando sua crimina pessima rhetor  
Objicit actoris nomine nota reo,  
Sordidius nihil est, fiunt grave-olentia fumo  
Atria prætoris foedaq; tota domus.  
Et qui noluerit fumantia tecta videre,  
Conjugis imperio pareat ille suæ.  
Ergò sibi absorptis tot longo tempore fumis  
Exiguus fumus post gravis esse nequit.



A L I V D.

**D** Ic age dic, Bergmanne, tua, justissime Judex,  
Voce doce, debes quoniam decidere causam:  
An Venus à sacris Musis efflagitet equum,  
Doctus Musarum chorus an responderit equum?  
Sic etenim censuram & sic nos jura probari  
Credimus, injustum justumq; ubi judicis ore  
Dividitur; que sit virtus cognoscere vulgus  
Si queat, idq; viri monitum ferat auribus equum.  
Dat mandata potens Cypri Dea, quicquid in or-  
be est  
Quæ regit imperiis insana salacibus; olim

C

Hanc



Hanc Dii sensere, & non evitabile telum.  
Nam curtu solio surgens, ô Maxima Juno,  
Limen adis Simples, & nubibus arte remotis,  
Assimularis anus, positus ad tempora canis,  
Sulcas atq; cutem rugis, & membra trementi  
Fers curvat a gradu, vocem quoq; sumis anilem?  
Nempe ut fallaci ludas Cadmeida dicto,  
Ipsa suo pereat pellexq; ignara rogatu.  
Pluto meo exiit Venerem tenebrosus in orco:  
Testis Pergusa est, quo dum Proserpina luco  
Pallentes violas & candida lilia carpens  
Perq; lacus stygios & olentia sulphure fertur  
Stagna Palicorum, dilectaq; raptaq; Diti.  
Atq; adeò nihil imperio Cythereidos expers,  
Quæ genus humanum domuit, turbamq; volantum,  
Atq; feras Sylvis, quæ pascunt æquore Ponti,  
Quæq; errant campis, latè terramq; pererrant.  
Ergò pharetratam Musæ ne temnere Divam  
Pergatis, tanto pollentem robore, quam vel  
Acunctis portata facit victoria claram.

Et verò liceat, quæis fidentis arma Sorores,  
Cernere, quæis ictus Veneris propellere telis

Vsq;



Vsq̄, iuvat: quantum video, est operosior actus,  
Doctorum dum clara iuvat monumenta virorum  
Nocturna versare manu, versare diurna.

Non mens est vobis vitæ dare tempus inertæ,  
Et Divæ Paphiæ dare nutrimenta dolosæ.  
Vester enim fuerit chorus hac medicabilis arte,  
Ocia qua pellet socordi segnia mente.

Hec faciunt ut ames, hæc causa cibusq̄ doloris:  
Ocia sustuleris, periisse Cupidinis arcus,  
Atq̄, faces videas sine luce & honore jacentes.

Hic verum nobis ô, polle dicere, Paulle,  
(Urgeo sic iterum) num Cypria postulet equum,  
An Veneris justè detrectent iussa Sorores?

Crediderim ad Musas pedibus secedere Paullum.  
Namq̄, Deæ in Paullum nil posse volatile telum  
Autumo, multarum qui lassus pondere rerum,  
Quas satis accumulât præturæ cura, fatiscit.  
Grande scabinatus, antistitiumq̄, sat illum  
Sollicitat, curet Paphiæ ne <sup>σωμόλα</sup> Divæ.  
Concessumq̄, gerit, quod Majestâte suprema  
Cæsarea insigne officii spectabile, sanctæ  
Quod fulcrum Themidos non sede moratur in una  
Cum Cytherea: harum tanta est discordia rerum.

C 2

Quæq̄



Quaeq; est dexteritas, fortunaq; rebus agendis,  
Magna illum exercet, commissa à Principe, rerum  
Perplexae litis transactio; mole sub illa  
Vix respirat: abest tantum, ut Cythereida curet.

Fallor ego heifallor! quem tot tantiq; labores  
Officiq; graves poterant non frangere cura;  
Vnius illecebris & victus & ictus & actus  
Virginis in Venerem, multis languentia curis  
Pectora virgineo letus solatur amore.

Famq; manus cor datq; suum, recipitq; subinde  
Virgineasq; manus & cor: hoc foedus amoris  
Sic initum, nullo violabile tempore vitæ.

Judicis atq; adeò exemplo sententia constat,  
Sic quoniam licito intentus Bergmannus amoris  
Imperiis Cypriae assuevit parere potentis.

O iudex, ergò quantum mutatus ab illo  
Paulo, quem Musæ poscebant, quemq; remotum  
Illecebris Cypriae credebam perq; molestam  
Curarum molem, & per pallida castra sororum.

Sed vel ego ipse tuo exemplo nunc sponte fatebor,  
Hæc fieri, primò fieri quæ posse negabam.  
Scilicet ipsa Trias sancti hujus foederis autor  
Concors sic stabili factorum numine sacrum

Conju-



*Conjugium sic ire iubet, nec fortè vagari.  
Quod superest, maneat per secula longa superstes,  
Ac repleto vicem patris, sat tempore longo  
Omissam: Hoc melius fieri quò possit, in uno  
Concordes lecto vero vos jungat amore  
Autor conjugii Deus, & confirmet, & addat  
Fucunda semper mediocria commoda vitæ.  
Quod tibi sincero nos corde precamur amici.*

Christophorus Vierthalerus  
Iudimoderator Cothoni-  
ensis. F.



## A L I V D.

**A**Nte secunda ferunt incognita vota, priori  
Gorgophone fuerit quàm viduata viro.  
Oebalus hanc etenim sibi post duxisse maritã  
Dicitur, & viduum primus iniisse torum.  
Hacq; rei laudem sibi tum novitate parârunt,  
Ut veterum faciunt ethnica scripta fidem.  
Sed quia posthabitis nos pagina sacra prophanis  
Conjugium per se rem docet esse bonam.

C 3

Quip-



Quippè quod est Autore bono, similiq; proba-  
tum

Fine, sit ut potior nullus in orbe status.  
Laude suâ cuncti gaudent, meritoq; fruuntur,  
Fœdera queis animus casta subire tori.  
Nec refert, subeant primùm, repetantvè secundo  
Aut ultrà, quoties fors ita morsq; ferunt.  
Exemplum nobis Patriarcha reliquit Abramus,  
Cui fletâ Sarâ juncta Ketura fuit.  
Nam Deus haud rarò, fato quos junxerat antè,  
Sejungit, viduum morte parante torum.  
Nec mihi divinas fas sit disquirere causas,  
Ipsa reservavit quas sibi sancta Trias.  
Hac in parte tamen mihi non postrema videtur,  
Unde animus lugens, cur requiescat, habet.  
Scilicet, ut faciat viduæ innotescere parti,  
Compare se simili posse replere locum.  
Posse & largifluâ dare se majora petitis,  
Et longè amissis uberiora, manu.  
Longiùs haud opus est abeã, documēta requirens,  
Monstrat id exemplum, Compater, ecce tuū.  
Sol duodena ferè jam signa peregit, ut uxor  
Prima tibi Elisabeth, morte vocante, cadit.

Quæ



Quæ matronarum velut hesperus atq; corona,  
Tum pietatis erat tum studiosa viri.  
Incumbensq; suis curare aliena sinebat,  
Qui vellet, conchæ more latebat item.  
Atq; ita, dum multis aliàs distringere rebus,  
Privatum magnæ ofasce levabat opus.  
Hoc ipsâ non sic potuisti addiscere vivâ,  
Plenius amissam te decuisse scio.  
Hactenus ergò gravem sensisti corde dolorem,  
Atq; tibi satis hæc mœsta ruina fuit.  
Id quod testatur nova stans structura sepulcri,  
Quâ placuit cineres condecorare pios.  
Scilicet in fidei socialis, & inde profecti  
Est animi luctus ædificata fidem.  
Res non exemplo caret hæc, sacra pagina nobis  
Mœsticiæ & luctus talia signa refert.  
Sed dum surgit opus, nec ad huc manus ultima  
plenè  
Addita, mœrorem jussit abire Deus.  
Atq; tuo rursus lateri jungendo secundam  
Reddidit, ut nequeas plura rogare tibi.  
Nam licet ob varias animi demortua dotes  
In thalamo fuerit vivere digna diu.

Defun-



Defunctæ tamen haud mihi cedere velle videtur  
Annula, quæ lecti spes modò facta tui.  
Nam genus & famam si spectes, sunt ea, Sponse,  
Talia, ne linguæ causa sit ulla malæ.  
Nolo facultates bona nec jactare caduca,  
Hoc casu quæ sunt respicienda parum.  
Non tamen ingenitum casto quem corde pudorem

Cùm pietate gerit, jure tacere queo.  
Moribus est etenim virgo sic tincta pudicis,  
Ut facilè hoc reliquas his superare queat.  
Prætereà privis operam dare rebus agendis,  
Ut lac maternum, suxit id ipsa ferè.  
Conjugis ergò vicem quis eam præstare prioris  
Atq; neget vacuum posse replere locum?  
Sic Deus inde suam tibi dat cognoscere mentem,  
Atq; iterum dominâ sic beat ille domum.  
Nam velut ex medico & medico non publica cõ-  
Res, sed & agricolas poscit habetq; simul: (stat  
Ex mare sic privata nequit consistere solo,  
Esse sed uniti fæmina virq; volunt.  
Quod quia visa sibi dudum petiisse dolenter,  
Munere divino jam tulit orba domus.

Ergò



Ergò tibi domuiq; tuæ quis nolit honorem  
Gratari, secum quem nova nupta feret?  
Cur etiam reliquis mea non sint addita votis,  
Pars & amicorum qui simul esse volo?  
Sic igitur voveo, præsens nisi fortè priorem  
Exuperet thalamum, sint modò forte pares.  
Attamen ut præsens foecundior & magè vivax  
Sit, mala nec primus quæ tulit antè, ferat,  
Uberior nolo nec largior esse vovendo,  
His facias votis pondus inesse Deus.  
Sic est, cur grato possimus pectore laudes  
Decantare tuâ pro bonitate tibi.

*Scripta moris & amoris  
ergò ab*

*Abrahamo Vierthälero  
Poligrammateo Cothoniensi.*



AD EVNDEM.

**R** Auchiadam, facie pulchram, sermone benignam

Annam, Mentem piam, Paule, tibi socias.

D

He



*Hæ dotes placuere tibi, placuere puella  
In te, Principibus quæ placuere viris.  
Quid Bergmanne igitur vobis precor? Opto bea-  
tam*

*Pace & honore domum, prole & amore to-  
rum.*

**Zacharias Strubius  
Lipsiensis.**





57

Glückwünschung

Zu des Ehrvesten Achbarn vnd  
Wolweisen Herrn

PAULI BERG-

MANS, S. A. Stadt Richters / c.

Zu Göthen / ihigen Breutgams /  
anderer verehlichung.

Mit

Der Ehr- vnd Vieltugentsamen  
Jungffrawen

ANNEN RAVCHS,

des auch Ehrvesten vnd Wol-

weisen / Herrn GEORGEN Rauchs / wei-

land Bürgermeisters daselbst / hinderlassener Eh-

leiblichen Tochter / ihiger  
Braut.

Geschehen

Zu Göthen / am XXVII. Augusti,

Im Jahr. 1610.

55.





**P**aul Bergfman von Naumburg<sup>e</sup> der  
Stadt

Ann Rauchs zu Cöthn geehlicht hat.  
Von Gott ich ihnen wünschen thu  
Lieb/Einigkeit/ auch Glück dazu/  
Vnd das sie beyfamn friedlich lebñ/  
Solchs wol der Ewig Gott ihñ gebñ.

**B**ey dem ichs nicht wil lassen bleibñ/  
Etwas vons Breutgams Leben schreibñ/  
Recht ichs zwar gern wolt bringen ahñ/  
Gschichts nicht / so thuts im besin verstahñ.  
Kürzlich ich nun vermelden thu  
Mit wenigen / wie er sich nuh  
Anher bey Cöthen hat begeben/  
Naumburg<sup>e</sup> die Stadt verlassen ebn.

**B**efam ein Junckr in diesem Landt/  
Recht from/vieln Leuten wol befant/  
Er war Notarius zuvor/

Vnd



Vnd seiner kunder Præceptor,  
That bey denselben guten vleiß/  
Gleich wie der vorig/ ohn geheiß/  
Auff das Sie ja zu Gottes ehre  
Möchten wol auffgezogen werdn.

**A**ber ein Erbar weiser Rath  
Nach Cöhten ihn befördert hat/  
Nicht wegert sich/ ohn alln verdruß  
Allda wardt Baccalaureus.

**R**echt bald drauff sein Sach zuhandt/  
Allsdann trat er in Ehlgen Standt/  
Vnd freyht Hans Hertlings Wittib alhier/  
Czeugt aber kein Leibsfrucht mit ihr.  
Hernach verließ er den Schul Ordn/  
Stad Richter (zuvor Gerichts Schöp) wordn

D iij      Begrabn



**B**Egrabnist erster Frawen Leib/  
Rauchs Tochter nimbt er zum andern Weib.  
Auff das ihn nun Gott glück bescher/  
Vnd diesen Ehstand wol vermehr/  
Thuts (Breutgam vnd sein lieben Schatz)  
Herzlich wünschen

VALERIUS RATZ.





Be 231.

8

Db.

ULB Halle 3  
002 690 756



56.


VD77











56

*Quod felix faustumq; sit,*  
Nuptiis secundis, amplissimi, & gra-  
vissimi Viri  
**DN. PAULI**  
**BERGMANI, NOTARII**  
pub. & judicis provincialis tento-  
rii Cotheniani, &c. Sponsi,  
*Cum lectissima & pudicissima*  
*virgine*  
**ANNA**  
Integerrimi & doctiss. Viri, Dn. M. GEORGII  
RAUCHII Consulis quondam  
Reip. Cothenianæ consultiss. re-  
lictæ filia, Sponsa &c.  
*Celebrandis 27. Augusti Anno 1610.*  
Carmina honorificè consecrata à familiaribus,  
amicis, quorum nomina singulis  
sunt subscripta.

---

*SERVESTAE,*  
Impressa typis Zachariæ Dörfferi.  
Anno 1610.

54